6/

Reverendissimo in Christo Patri, Illustrissimo Principi ac Domino, Domino Johanni Uratislaviensi Episcopo dignissimo, Domino ac Patrono meo observantissimo

de Ao 1512.

Joh. Hessus.

Rev:me in Christo Pater et Domine, Dne mi observantissime; post humilimam commendationem allatum est tandem ad me, Diis gratia est, privilegium toties flagitatum literis meis atque expetitum, quod cum hoc tabellione cura Dni Schwartz gentilis nostri ad Patrem Rev:mum mitto redemptum, est per me 30. aureis nummis ex manibus Secretarij consocij mei, ad quem fuerat persperandum transmissa summa hujusmodi conflata est, partim ex auro illo infecto, partim eo, quod à Dno Schwartz mutuo accepi decem et octo tt aureos nummos Hungaricos, qui sanè extra omnem cunctationem et perquam libentissimè ob summam ejus erga Pa:tem Vram Rev:mam observantiam ejusdem nomine mihi hoc pecuniæ mutuatus est. De quo et verè et meritò Pa:ti Vræ Rev:mæ observantiam ejusdem nomine hoc scribam. Ipsum Vdu pro se ferre promptissimum studium ac miram quantam voluntatem nulla non in re Do:ni V. R:mæ gratificandi. Ad privilegium redeo. Ipsum quidem omninò tale est, quale mihi sperantius promisit, amplum videlicet et non vulgaris notæ, mihi non probetur ab Amplis: vest: Cæsaris in hoc constans voluntas, utpote qui voluerit aliter privilegium elargiri, nisi vel in formula cudendorum nummum aureum Aquila exprimeretur, vel pomum, quod vocant, rectius orbem illum appellarim, effigiaretur, aut potius nomen suum. Quare cum Amplitudo vestra cuperet altero latere imaginem Dap:te Christiani proferri, ne vel globus Cæsareus vel Aquila locum illum præriperent, si nomen Cæsareanum in περιφέρεια circumscriberetur,

quo loco scitum illud in sacris: Ecce agnus Dei ponere sanctè profectò Amplitudo vestra constituerat, non adeò ineptum visum fuit, neque verò etiam incomodum. Nam quamdiù perduraverit usus aureorum intelligetur apud posteros, Cæsarem habita ratione Amplitudinis Vestræ Episcopatum Uratislaviensem hoc munere honestâsse, si tamen non satis ex sententia Sa^tis^ V. Rev:^mæ^ videbitur factum, ego ubi ad Cæs:^rem^ rediero, quod brevi futurum est, suâ opera minimis sumptibus alterum consequi possem. Vellem equidem pro debito officio meo omnia Sa^ti^ Vræ Rev:^mæ^ secundissima evenire.

Deinde veniam deprecor ab Ampli:^ne^ Vrâ, qua orationem non ex officina mea transmisi bis ceptam ob iminentem Gallici morbi vim dimittere coactus, potiusque supprimendam putavi, quam ineptam adeò atque impolitam istuc ferri paterer. Spero me veniam consecuturum, quippe qui non negligentiâ verum necessitate ineluctabili oppressum et hoc et alia multa quasi abs me rejicere coactus sum. Proximis literis Cardinalis significavit mihi, se in animo statuisse, ut paucis post diebus hinc ad se me conferam, qui nisi propter motus Hungaricos, qui fortasse ex obitu Regis excitabantur à factiosa procerum multitudine. Cæsare interim bellis Italicis detento, huc redeat, aut in ipsam Italiam Cæsarem subsequemur, aut certè, quod magis vereor, in Hispaniam eundum nobis erit. Itaque aliquot diebus antequam huc ego discedam ne radices malum ponat ratione, quem potione eiendum medicus existimat, quicquid est reliquum mali, eliminabitur. Interea temporis literas ad Dnum V. Rev. amplit. expectabo. Georgius Logus à Præceptoribus valdè diligitur, quibus admirationi

quiby admirationi ingenium est adolescentis. Nihil illi deest, praeterquam quod veste eget, paulo decentiore, quem si Amplitudo Vrā atqꝫ ejus similes, ut coepit, juvabit, speren, Do:nem Vrām Rev:mam Erasmus in familia sua aliquando habi-turam, qui ei desiderium illiꝰ Hollandi desiderij non minima ex parte levirent. De me nihil tale polliceor, cujꝰ cum studia in omni vita parum constantia et impedita ali-quoties extiterint ante duos annos ob aulica negotia etiam refrixerunt, gaudeant felicius, quam ego nati, quiby gloriae immortalis propagationem Illustrissimorum ingeniorum laboriby, qua olim non viliter tangebar, ego neutiquam invideo, solemus frequenter literis absentes, cum infrequenti sermone ego et Richardꝰ noster communem cala-mitatem nostram deplorare, melioris vitae tempus servitute nescio profecto quantum fructifera absumentes. ac dum Prin-cipum secuti sanus studia animo volumus, vix unus et alter post Amplitudinem Vrām inveniantur, qui bonis ingeniis faveant, nedum ut ipsi non aliis interim rebus impensius addicti, optimis literis vacent. Apage im-mundum hoc seculum, et nauci mortales, quiby sanan-dis centum oporteret adhibere anticyras. Porro hoc cum omnia Richardꝰ et ego in nostris detestamur, Sarmatas et Pannonios Germanis, qui alioqui illis humaniores haberi volunt, fovendis eruditis longe esse diligentiores. In quiby Vrae Rev:mae Do:ni citra controversiam primas deferimus, quod ipsius Richardi versiby intelliget, quod tantum abest, ut in alterutro reprehendatur, ut utrumque summa cura ac studio praestiterit. Dabit hujus rei testimonium apud omnes mortales libellꝰ

quem missurum aliquot menses ne receperam, cum quoniam ob impressionum diutinas occupationes hactenus typis excudi non potuit. Vadianus mihi pollicitus est, quod vel mediocrem gloriam Ampl:mi Vrae afferre videbitur.

Caesar XVII. Helvetiorum, XII. millia peditum Germanorum in Italiam introduxit: ad hae juncta sunt copiae presidiariae Veronae et Brixiae. Equitatu longè vincimur numero; Nam vix trium milliam Germanorum Hispanorumque noster esse fertur. Accelerant equites Burgundiones octingenti; verum nondum Italiam attigerant. Equitatus Dux Casimirus Marchio Brandenburgensis, qui haec nobis retulit, ante dimidiatum mensem à Caesare in claustris, quae Veronensia dicuntur, abiit, qui nongentis equitibus reliquos subsecutus est. Hispanus vice-Rex fertur hortatu Caesaris copias suas celeriter adducere, quod si ita est, spondeo nobis certissimam victoriam; Habemus enim equitatum quatuor millium, peditem strenuum acrem et exercitatissimum. Hostium copiae pedestres ut ingentes sunt, ita viles ac parum validae, puta gentis quaedam colluvies ex pagis vocata, et nautica multitudo. Equestres strenuissimae, nempe quod Gallis majore ex parte constant, octo millium esse feruntur. Dii Caesari res suas secundent, et mihi ut et ille Gallos ex Italia pellat, ego arceam à corpore. Proximè ubi literas accepero, credo me in eis multum rerum novarum lecturum, de quibus Amplitudinem Vram faciam certiorem. Cui me etiam atque etiam reverentissimè commendo. Datum Viennae XXIIII. mensis Martij. M. D. XII.

Rectioris